

P. VERGILI MARONIS

adsidue ueniebat. ibi haec incondita solus
montibus et siluis studio iactabat inani:

'O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
nil nostri miserere? mori me denique cogis?
nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
nunc uiridis etiam occultant spineta lacertos,

Thestylis et rapido fessis messoribus aestu

alia serpyllumque herbas contundit olentis.

at mecum raucis, tua dum uestigia lustro,
sole sub ardent resonant arbusta cicadis.

nonne fuit satius tristis Amaryllidis iras

atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
quamuis ille niger, quamuis tu candidus essem?

o formose puer, nimium ne crede colori:

alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,
quam diues pecoris, niuei quam lactis abundans.

mille meae Siculis errant in montibus agnae;

lac mihi non aestate nouum, non frigore defit.

canto quae solitus, si quando armenta uocabat,

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.

nec sum adeo informis: nuper me in litore uidi,

cum placidum uentis staret mare. non ego Daphnin
iudice te metuam, si numquam fallit imago.

o tantum libeat mecum tibi sordida rura

atque humilis habitare casas et figere ceruos,

haedorumque gregem uiridi compellere hibisco!

mecum una in siluis imitabere Pana canendo

(Pan primum calamos cera coniungere pluris
instituit, Pan curat ouis ouiumque magistros),

nec te paeniteat calamo triuisse labellum:

haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?

5

10

15

20

25

30

35